

4
Deipara, secundum piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti innoxiamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Vides Pontificem declarare, objectum, quod ajunt, Ecclesiastici cultus, qui nunquam est in Ecclesia immutatus, fuisse semper & esse præsertionem Deipara a peccato originali; eoque omnia pertinentis tribuendis, de Ordine Religioso, piisque sodalitatibus antea decrevissent. Victi sunt igitur hac in parte adversarii, iustique fateri, quod pridem negarunt, objectum Ecclesiastici cultus primum esse momentum creationis Deipara, animæque inclusionem in corpus ejusdem. Cumque quod colitur ab Ecclesia universa, sanctum id esse necesse sit, ut antiqui Patres, ac Divus Thomas, cæterique de schola Theologi sciscunt; quid amplius eo, quod est factum ab Alexandro, poteramus optare ad premendas fauces desipientium, ut vere dicam, Sophistarum? Neque enim Theologorum nomine dignos puto, qui opinionem jacentem, & afflictam modis omnibus conantur erigere; &, cum per leges Pontificum eandem litteris consignare sit nefas, hanc ipsam tamen libello typis publicis edito in vulgus spargere non verentur. Ita quod fore sperabamus, ut dempta illis ab Alexandro libertate nugandi vel darent manus, vel eisdem objecto pœnarum metu in perpetuum tacerent, experientia recenti frustra fuisse compertum est. Cum enim Legatus Catholici Regis libellum supplicem obtulisset Clementi XII., qui Pontifex Maximus idemque Optimus Ecclesiam gubernat; ac Regis ejusdem, totiusque Hispaniæ nomine eum orasset, uti Mysterium immaculati Conceptus declararet, vel ut rem de fide, vel ut certam infra fidem, sed cum certitudine aliqua infallibilis veritatis; excanduit illico antiquus hostis Deipara, cujus calcaneo insidiabatur: & hanc honoris accessionem eidem fieri indigne ferens, inflammavit homines cæteroquin bonos (istis enim plerumque solet illudere) atque ita spiritu insanix exagitavit, ut ad veterem cantilenam eos redire, Sum-